

TITVLVS IX.

DE CONSVLATV MERCATORVM, ET ALIIS AD INDICOS CONTRACTVS SPECTANTIBVS.

Erectio Tribunalis pro Mercatoribus, & qualiter in Indijs etiam nobiles esse possunt.



Mercatores in Indijs, si non precipua, precipua proxima portio sunt, de iis loquendo, quae ad civilem statum pertinent: quia cum plurima ex Hispania in Indijs, & non pauca ex Indijs in Hispaniam tranſuehantur, in hoc cotinercialis vitae genere, & validissimo & necessario, multae hominum myriades occupantur. Quando etiam intra regna ipsa Indiarum, quae est earum opulencia, vt diuitias parent, multi nundinationum auidi reperiuntur. Hinc factum vt mercatura nobilitati non officiat, nisi quando in tabernis, quas Teendas dicimus, actu personaliter exercetur. Quod est conforme L. Nequis C. de dignit. liber. lib. 12. & iuribus alijs. De quo Tiracuellus de Nobilitate. Cap. 27. num. 7. & seqq. & Cap. 33. num. 19. & fufius Cap. 10. per totum; & alij, quos adducit D. Solorzanus. Lib. 4. Cap. 1. num. 10. & in Politia Lib. 5. Cap. 1. Col. 1. & Heuia in labyrintho Cap. 1. num. 28. Vnde videmus multos ex praecipuis mercatoribus Equestrium Ordinum insignibus decoratos, sancti scilicet Iacob, Calatraba & Alcantara, quibus maior Hispaniae nobilitas gloriatur. Quia vero quae ad contractus speciales spectant, melius ipsi quam ordinarij Iudices norunt, optimo rerum nostrorum consilio speciale ex ipsis Tribunal erectum causis huiusmodi decidendis, in quo vnus praesidet Prior, & Consules duo, qui annuatim eliguntur. Habent autem primam tantum instantiam, nam ab illis ad Regium Auditorem pro eo designatum appellatur, de quo diximus Titulo 4. num. 92. & de cuius erectione & autoritate necessaria ad illud, videndus Ioannes de Heuia in Circa labyrintho contractuum lib. 2. Cap. 15. circa illorum ergo obligationes, & contractuum quorundam genera in Indijs peculiarium oportet inquiramus. Pro quo fit

CAPVT I.

Qui iudicandi modus in Consulatu debeat obseruari.

Circa modum iudicandi difficultas proposita.

Ratio dubitandi est, nam vel iudicandum est ex aequo, & bono, & vt dicitur ratio naturalis; sic autem multoties eueniet vt contra leges scriptas iudicetur, quae quidem contrariae rationi naturali non sunt, & saluntur saepe homines aliter iudicando. Si autem secundum leges scriptas, earum sunt Mercatores ignari, & congruentius esset ab ordinarijs iudicibus ista tractari. Licet autem Assessorum habeant litteratum, non videtur fieri satis, quia id ipsum

indicat a literatis iudicibus melius causas huiusmodi terminandas, cum tandem non Assessoris sit iudicium, sed eorum, qui de legum intelligentia parum sciunt. Accedit multa apud eos impune manifestari, quae coram ordinarijs iudicibus non possent, quia contraria legibus sunt, in quibus contractari non posse iubet L. 3. Tit. 24. lib. 5. nouae compilat. quae extra registrum exportata, & sic alia, quia sic illic contrahunt, & in eo possunt controuersiae commerciales excitari. Quae quidem non videntur quomodo possint apta ratione componi. Nihilominus

3. Dico primo: Tribunal dictum aequissimo potuit iure fundari. Probatur ratione iam dicta de experientia Mercatorum circa ea, quae ipsi tractant, quandoquidem vniciue sua in arte credendum est vt dictum a nobis supra, & praeterea, quia commercium non debet pro rogatione litium impediti: cum sit illud valde Reipublicae necessarium: id autem ita contingeret, si omnes circa ipsum lites ad ordinaria tribunalia essent deferenda, in quibus omnes iuris solemnitates, & subtilitates adhibentur; cum tamen in consulatu procedi debeat breuiter & summarie, vt ritate inspecta & bona fide seruata, vt illius ordinationes statuunt, & pro quibus bene Heuia supra num. 37. Ex quo foret, vt lites aliae in ordinarijs tribunalibus agitari solita nimium quantum retardarentur; nam Mercatores vt potentiores, sua vellent prius tractari negotia, & frequentius obtinerent. Accedit hoc pacto auaritia iudicium occasiones praecidi; quod periculum in iudicibus ex eodem gremio non imminet, quia sua ipsorum agunt negotia cum iudicant, iudicandi cras ab iis, quos hodie contigerit iudicari. Praeterea quod cum homines diuites sint, subornationibus non sunt obnoxij, vt literati esse solent, quotidianam auri pruriginem laborantes.

4. Dico secundo. Modus iudicandi in consulatu non debet esse legibus contrarius. Id clarum; quia quod pro bono publico institutum est, non debet in boni publici detrimentum redundare: nihil autem maius detrimentum bono publico afferre potest, quam legum stabilita transgressio, & publica sententia confirmata. Ad hoc autem Assessoris peritia deseruit, vt scilicet leges faciat manifestas, quarum obtenta notitia, prudenter possunt iudices, adiuncta experientia, & consuetudine apud ipsos, quod melius vilius fuerit iudicare. Quod si quidquam minus iustitiae consonum ab eisdem fuerit pronuntiatum, a iudice appellationis poterit emendari. Vbi autem lex nulla expressa pro casu contingentia sit, satis apparet conueniens, ab illis ex aequo, & bono causas tractari istas, qui suas probatas consuetudines, & leges quasi conuentionales habent, seu stylium generaliter receptum; quae quidem attenderentur, si leges circa haec constituendae essent,

Assessoris Consulatus conuenientiam statuens ostendens.

Qualis in eo procedendi modus.

Assertio 2a. Modum iudicandi non debere esse legibus contrarium.

essent, & ita quasi leges vitae apud eosdem sunt regula iudicandi.

Quomodo in hac cum praxi, quae contrarius videtur amplecti. Vbi notanda aliqua.

5. Illud tamen, quod de non quintatis, nec registratis dicitur; specialem videtur difficultatem habere; & dici ad illud potest, intentionem Regis ad praedicta non extendi, ex Mercatorum autem conuentione, ita stabilitum, qui iudicio tali festuros conuenerunt, eo quod aliter non possent controuersia ista componi; ita vt cum effectu iustitia sua cuique redderetur. In quo quidem licet approbatio Regis non sit, eius tamen videtur esse permissio, non enim possunt isti supremi gubernatores ignorare. In casibus autem praedictis non debet appellari, quia appellatio est a Iudice legitimo in causa, in qua vt talis procedit Regia auctoritate; quod tamen in dictis casibus non accidit; & valde indecens esset, vt Regius Auditor circa ea sententiam ferret, quae per leges Regio sunt Fisco adiudicanda. Addo non videri cur non etiam dici possit Consulatum posse auctoritate Regia de praefatis iudicare, quia illa ad Regem non pertinent, nisi post sententiam: cum ergo talia sint, & ex eo quod iste potius quam alius illa possideat, nullum Rex patitur detrimentum; & alia conueniens sit cuique quod est suum reddi, cum id iustitia exigat; merito dici potest id minime Regiae voluntati repugnare. Vnde, & appellari etiam poterit ob eandem rationem, quia si iustum est ius suum vniciue reddi, & iuxta Regis voluntatem circa illud in prima instantia iudicatur, bene etiam iudicari in secunda poterit. Per quod non tollitur quod minus Rex possit rem circa quam lis vertitur, si alia apprehenderit, sibi penitus vindicare. Sic ergo hic dicendi modus non improbabilis.

CAPVT II.

In quibus Iudices Consulatus grauer peccare contingat.

Peccare grauer iudices litem pro rogatione.

6. Primo id accidere potest, quando contra Tribunalis huius institutionem lites nimium protelantur. Constat ex dictis num. 3. causae enim in illo debent breuiter, summarie, & veritate inspecta terminari. Si ergo anni tranſeant, & adhuc sub iudice lis est, quomodo finis institutionis Tribunalis huius obrinetur? Quis autem non videat in hoc grauer delinqui, cum ex eo praeter graues litantium molestias, & multiplices expensas, illis, qui ius fundatum habent, rebus suis vt non liceat, aut si in possessione sunt, ea frui pacifice denegatur. Ex quo habetur etiam restitutionis obligatio, quae tunc datur, cum negligentia est manifesta; & negligentia quidem tunc conuincitur, quando tenetur quis intra tempus praefixum a lege vel statuto, aliquid perficere, & non fecit; iuxta ea, quae adducit P. Fragosus Tom. 1. pag. 943. num. 80. in vtroque versiculo. Licet autem non sit per legem aut statutum praefixum tempus ad causas, in consulatu decidendas; cum tamen breue generaliter praescribatur, dum per annos decem prorahitur, sufficienter videtur negligentia comprobari. Nisi casus aliquis rarus obtin-

Quando negligentia sit imputabilis in ordine ad restitutionem.

gar, in quo nequeat praescripta breuitas obseruari.

7. Secundo: in eo grauis esse lapsus potest, si iudices suo nimium iudicio fidentes, Assessoris Concilium non attendant, & quidem vbi lex non fuerit, iuxta quam debeat in iudicio pronuntiar, non erit graue peccatum in dissensu, quando alia aequitate inspecta, & stylo attento, Assessoris iudicium minus verosimile iudicatur. Vbi autem res magis videtur ad ius spectare, Assessoris iudicium non vexari, sine graui stare culpa nequit: nisi forte Assessor ipse iudicium suum tantum vt probabile proponat. Tunc enim licebit illud non amplecti; vel si magis probabile affirmit: quia etiam tunc dissentire licebit, eo quod id, quod attento iure magis probabile est, aequitate & stylo attentis possit esse praecise conuenientius; vt omittere modum sententiam eorum, qui affirmant iudices posse secundum minus probabilem sententiam iudicare, quam tenent plures apud Dianam Parte 2. Tractat. 13. Resolut. 3. P. Fragosus Tomo 1. Pag. 450. vers. secunda propositio. Bassus verbo Conscientia, num. 16. vers. Nihilominus. Cardinalis Lugo Disputat. 37. de iustitia num. 117. varios casus referens, in quibus id liceat. Et alij, qui tamquam probabile id amplectuntur, quando probabilitas est ex parte iuris, & non ex parte facti; vt omittere inquam, quia id in iudicibus, de quibus agimus, specialem videtur habere difficultatem, eo quod debeant bona fide, seu iuxta aequitatem, non attentis iuris solemnitatibus & subtilitatibus, iudicare; non videtur autem bona iudicare fide, & ex aequo, & bono, qui eo, quod sibi verosimilius apparet, praetermissio, quod minus est verosimile anteponit: illud enim de maiori probabilitate, & rationibus anteposendi opiniones, ad iudices spectare videtur, qui circa hoc philosophari subtilius possunt, & obligationis suae terminos penetrare. Sciunt namque id, quod inspecto iure sibi apparet verius, forsitan non esse tale, quia alij circa hoc acutius videre possunt, & tales forte esse illos, qui sententiam minus probabilem communiter iudicatum constantur. Qui discursus in hominibus mercaturae deditis communiter esse non possunt: sunt tamen aliqui ingenio praecellentes, quas experientia, lectio, & litteratorum commercium satis habiles reddiderunt; de quibus non aliter, quam de literatis iudicibus iudicandum. Et Ioannes quidem de Heuia curia Philippica, & labyrintho contractuum celebris, hoc pacto doctrinae est mirabilem supellestem assecutus, qui scholas frequentauit numquam, immo nec latinae linguae videtur plenam notitiam habuisse.

Assessoris iudicium vt sequi debeantur.

Iudices iuxta minus probabilem sententiam iudicare posse qui sentiant: quod in iudicibus Consulatus generaliter non probatur.

Ioannes Heuia m. de profectio.

Peccare grauer illos iurisdictione amplectendo.

Minus probabilem opinionem aliquando praeserenda.

Consulatu decidantur ob rationes dictas : & quando opinio aliqua æquitati fauet , alteri præferenda est rigori iuris adherenti , per ea , quæ adducit Heuia num. 37. & quando tale quid accidit , non est dicendum sine iurisdictione iudicari , quia Rex in casu probabilis opinionis illam conferre credendus est ; sicut de Pontifice tradunt communiter Theologi , sciente esse opiniones circa Sacramentorum administrationem ; iurisdictionem requirentem : quæ si re ipsa verà non sit , Sacramentum erit multoties nullum , quod præsertim in Sacramento Pœnitentiæ accidit . Non est tamen credendum id ita velle Pontificem ; & ita doctrina talis videtur approbata , & iurisdictionem conferri ne Sacramentum irritum toties sit , & animæ fidelem ad eò graue , & irreparabile quandoque detrimentum patiantur . Quamuis hoc non omnino certum sit , vnde non urgente necessitate per planiora , quæ & securiora , gradiendum . De quo bene Bassæus supra num. 10. vers. Ceterum .

Iurisdictione quomodo à Rege & Pontifice cum probabiliter agitur , conferatur .

Clericus non posse in Consulatu conueniri .

Clericus negotiator quando fore privilegium amittat .

Cap. Ex litteris de vita & honestate Clericorum .

Grave eorum peccatum in iura

dari : hoc enim contra institutionem huius Tribunalis esse videtur , per quam quoddam est quasi pactum stabilitum , vt scilicet illi circa res suas iudicent ; sic Rege liberaliter annuente , & ipsius Regis nullum ex tali iudiciali foro detrimentum iura legitima patiantur . Et hoc est quod num. 4. dicebamus , non posse contra leges iudicari , cum iniquum videatur semper contra Regium patrimonium in sententiis ire ; & confidentiam eius temerari . Nisi forte circa aliqua probabilis opinio sit minus Regi fauens , tunc enim iuxta dicta num. 8. procedendum neque credendum est id contra illius non esse penitus voluntatem , quandoquidem opiniones rolerat , quæ eo ipso , quod probabiles sunt , potest iuxta illas iudicari . Et certe quod vna via videtur tolli , per aliam recuperatur : opulenta enim commercij in magnum Regij patrimonij commodum militat , cum inde iurium accretio , inde donatiua pro temporibus necessitatis habeantur . Et hæc pro Consulatu latis , quæ ad animæ forum spectant , pro aliis autem citatus Heuia consulatur ; vt iam ad speciales in Indiis contractus veniamus . Nec omnes prosequi possibile est , quando & plurimi sunt , & aliqui pro diuersitate regionum prorsus ignoti , ex iis autem quæ circa præcipuos quosdam dicenda sunt , ad alios poterit utilis consequentia deriuari . Sit ergo pro illis

rius de fraudatione Regalium contra illum indicando .

Quid pro na .

Earum pretium non esse fixum & quare .

Marcha ut valoris regula .

CAPVT III.

De contractu argentearum pinnarum .

11 **E**X argento puro antequam quinta pars Regi soluat , & in massam redigatur grandiore Regio signaculo consignatam , pinne diuersorum ponderum conficiuntur , quarum commercium communissimum apud Mercatores habetur . Sunt tamen circa illud aliqua difficilia , & ita videndum , quid in eo liceat , quidque possit conscientias prægrauare . In primis statuendum est vt certum pinnas huiusmodi aliarum mercium more diuersa pro tempore pretia fortiri . Licet enim per leges iam pridem statutum sit vt argenti Marcha , vulgo Marchus , sit argenti valoris regula , & Marcha iuxta legem habeat octo vncias , quæ faciunt sexaginta quinque regales , L. 1. Titul. 21. Lib. 5. Compilatoris . Nihilominus vsus inualuit , vt Marchiæ valor fixus non sit inter Mercatores , vnde secundum accidentia temporum variatur : idque non solum in Indiis , sed etiam in Hispaniâ , quod suo modo etiam in auro contingit . Circa quod dubitari nequit , quin sit licitum , quandoquidem ita communi vsu receptum , qui maxime iuxta naturam rerum est ; & aliarum rerum vsui conformis ; sicut enim ferrum , æs , stannum , & alia metalla fixum pretium non habent , sed iuxta raritatem , aut copiam , aliasque rationes occurrentes variatur ; ita & in argento , & auro similiter affirmandum : leges autem fixum pretium statuentes , de argento hoc pinnario non loquuntur , cum in eo prohibeant contractus celebrari , vt dictum num. 2. cuius pretium valde inferius esse solet , eò quod Regia marcha valore augeat , cuius & alia rationes esse solent .

Pinnas anticipata solutione emi posse ; & doctrina pro eo generalis .

An ab iis , qui Minerarij non sunt , nequeat sint aliquæ eorum habituri .

Rationes pro eo , quæ & pro emptione anticipata solutione .

12 **H**ac ergo pretij varietate sate solent Mercatores minerariis ad expensas ingentes , quæ in creando argento , & ad suam puritatem redigendo fiunt , anticipatam pecuniam tradere , eo pacto vt in pinnis sibi persoluant , designato pretio , cum pecunia traditur , quidquid de pretio sit , quod traditionis tempore sint habituræ . Vbi quidem contractus emptionis , & venditionis est , & ita iuxta ea regulandus , quæ Auctores de eo dicunt , cum res anticipata solutione emuntur , pretio in ipso contractu constituto ; si enim ita emantur vt currenti debeant pretio dari , nulla est in eo contractu difficultas . In eo autem , de quo agimus , pro certo habeo esse omnino licitum , etiam quando verosimiliter creditur traditionis tempore plus esse valituras & cum sit contractus plus etiam valeant . Quæ quidem iuxta satis probabilem sententiam sunt , quam circa emptiones huiusmodi tenent doctissimi scriptores , ex quibus P. Molina Diss. 360. P. Lessius Lib. 2. Cap. 21. Dub. 7. P. Gaspar Hurtadus Diss. 2. de Contract. diff. 6. Card. Lugo Diss. 26. n. 109 & seqq. P. Onate Diss. 64. Sect. 1. 2. & 3. Bonacina Diss. 3. de contractibus , quæst. 2. Puncto 4. num. 20. qui alios adducunt . Et vt alias rationes , quæ ab illis adduntur , omittam , illa in præfenti certe militat , quæ ex periculo pacti non implendi desumitur . Quando enim periculum est amitrendi pretij , aut partem illius , licet vilius emere , iuxta receptissimam sententiam , pro qua citatis aliis P. Busembaum in Medulla circa præceptum . 7. Cap. 3. Dub. 7. n. 8. & 9. Atqui ita in casu nostro contingit : Minerarij enim raro implent , quod promittunt quia multis obligatam habent fidem , multorum subsidij indigentes ; vnde & Gubernatores ipsos videmus huiusmodi contractibus implicatos , querelis ob fraudatam fidem onustos & magnas pati , Deo sic altè prouidente , iacturas , vt malè parta malè dilabantur .

13 **P**ræter contractum dictum , qui cum Minerariis intri solet , alius est similis , qui circa pinnas etiam fit , sed cum iis , qui Minerarij non sunt , neque cum illis vllum commercium habent : dantur enim illis pecuniæ , vt reddant pinnas assignato tempore , pretio , vt de contractu præcedenti diximus , constituto : Quod si non reddant pinnas , reddent pecunias cum augmento vsque ad valorem pinnarum tunc futurum ; & videtur quidem licitus ob similes rationes eis , quæ pro illo , qui anticipata solutione fit , à Doctores adducuntur , aut potius easdem : sic enim arguunt : Primo : quia anticipata solutione ementes , patiuntur iacturam lucri , quod intermedio tempore possent suæ pecuniæ vsibus obtinere . Secundo : quia res tradenda post aliquot menses , minus valeret emptori , quam si statim illi traderetur : res enim præfens multas habet opportunitates , quas non habet futura . Tertio : est ratio à nobis adducta , periculi inquam perdendi pretium : homines enim commercium huiusmodi exercentes , dubiæ fidei esse solent , ergo licitus est contractus talis . Rationes istas adducit P. Lessius cum aliis , non est autem opus vt omnes in contractus quoslibet quadrare debeant , quæ pro alio adducuntur , qualibet enim vtrique communis videtur sufficere nam vbi est eadem ratio , eadem est & iuris dispositio , iuris inquam non positui tantum , sed etiam diuini ad forum conscientiarum pertinentis .

14 **S**ed aliunde contractus dictus videtur minime licitus , sed planè vsurarius , vt potest in quoratione mutui lucrum obtingat ; nam iste à quo pinnæ dicuntur emi , tradendæ post aliquot tempus , neque habet , nec creditur pinnas habiturus ; ergo verè , & propriè non vendit , Patet consequentia ; quia defuit propria ratio venditionis , quæ est permutatio mercis pro pretio ; cum ergo accipiatur pecunia cum augmento reddenda ; mutuum sanè est , cum auctario , & ita contractus vsurarius . Si dicas pretium pinnarum esse incertum , & posse tempore designato traditioni minoris emi , quam fuerint emptæ tempore anticipatæ solutionis : id certè nequit sustineri , nam ex eo casus destruitur ; dicitur enim quod si non reddat pinnas is , qui pretium anticipatum accipit , eò quod illarum copia non sit , debeat reddere pretium currens . Cum ergo earum tanta copia sit , vt minoris emantur quam fuerit pretium anticipatè datum , satis manifestè apparet non esse rationem cur non reddat pinnas , cum possit eas pretio tali emere , vt in contractu lucretur . Quando ergo pretium anticipatè soluitur , supponitur id , quod frequenter euenit , & moraliter constat euenturum , pinnas scilicet plus valituras ; & ita huic contractui applicatur doctrina illa de anticipatæ solutione : sic enim quæstio proponitur , An scilicet liceat minoris emere , ob anticipatam solutionem , vt videri apud Auctores potest . Si ergo incertum sit quale sint habituræ pretium , sitque moraliter contingens , vt minus valeant , non videtur esse difficultas , vt videri potest apud P. Lessium Lib. 2. Cap. 20. num. 145 . Præterquam quod non fit satis argumento ex eo procedenti , quod in contractu dicto non sit propria ratio venditionis , cum non sit permutatio mercis pro pecuniâ , nec futura speretur quando pretium traditur .

Vnde illius contractus dictus videtur .

Vrgetur ea contractus simili in tritico & similibus cum non danda doctrina .

Vsura quid & applicata casui definitio .

15 **R**oboratur , & explicatur . Nam si quis ad alterum accedat , & petat ab eo mutuum , renuatque ille ; dicat tamen daturum se , si in tritico soluat messis tempore pretio currenti , cum tamen ille prædium non habeat , nec aliunde tale commercij genus , vsura in eo videtur intercedere ; datur enim mutuum cum obligatione huiusmodi ; idè enim apponitur , quia creditur sic petentem non habiturum triticum , & ita redditurum quod accepit , & præterea interesse , ex eo quod triticum non reddat , cum obligatio illa sit pretio æstimabilis ; ponitur ergo pro mutuo obligatio contra rationem mutui propriam , vnde vsura incurritur turpitudine . Itaque triticum non emitur , quia neque est , neque futurum speratur : si enim esset moralis potentia ad illud , etiam si quis non sit agricola , & animus reddendi adfir , contractus est licitus , iuxta ea , quæ adducit Diana Part. 1. Tract. 8. Resolut. 26 . Vnde non traditur pecunia nisi mutuo , quia contractus alius esse nequit , & additur obligatio , ex qua redditur vsuraria . Quæ doctrina est communissima apud omnes agentes de vsuris , & ex definitione vsuræ constat , iuxta quam dicitur lucrum ex mutuo . Hoc autem quod in casu prædicto euenit , similiter in eo , de quo agimus , inuenitur . Cum enim homines pecuniâ opus habeant ; nec mutuum inueniant , modo prædicto se obligant , alieni prorsus in cogitatione suâ à pinnarum traditione ; sicut & pecuniam tribuentes , qui probè sciunt quid sit euen-